1576

15

Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ quintâ Februarii. 1706.

M. MICHAELE SAUVALE, Doctore Medico, Præſide.

An morbi omnes omnibus fiant temporibus?

AERIS nobis ineſt neceſſitas, ut eo deſtituti, ne breve quidem tempus vivere poſſimus: ab eo tamen interdùm non minùs, quàm à quâvis inſalubri causâ lædimur, dummodò calidior, aut frigidior, aut vitiosâ qualitate infeſtus, periculoſos invehit morbos, & tum præſertim, cum magnæ & repentinæ in eo fiunt mutationes.

HINC auſtrinâ conſtitutione caput repletur, caligo oculorum, auditùs gravitas, mentis & corporis torpor & pigrities generatur, & multis putredinis affertur occaſio; Aquiloniâ vero tuſſes, raucedines, urinæ difficultates, coſtarum & thoracis dolores excitantur.

VER quamvis temperatum ſaluberrimum, dum corpus variis humoribus repurgare conatur, interdùm maniam, epilepſiam, hæmorragiam, phlegmones, catharrhos, impetigines, arthritidem: æſtas, bilioſos affectus, & ardentes tertianas febres, eriſipelata: autumnus melancholicos morbos, aſthmata, tabem, dyſenteriam, lienteriam: hyems nervis & cerebro inimica, pituitoſos morbos parit.

CUIQUE etiam ætati ſuæ inſunt familiares affectiones, nam pueruli recens nati, aphtis, vomitu, pavoribus, comitiali morbo vexantur: Paulò grandiores, gingivarum prurigine, febribus, convulſionibus, diarrhœâ. Qui pubertati ſunt proximi calculis, aſthmate, lumbricis, tonſillis, & multis tuberculis: Poſt pubertatem, hæmorragiâ juvenes, ſanguinis ſputo, tabe, febribus acutis: declinantes ætate melancholicis, & ſenes pituitoſis affectibus cruciari ſolent.

MORBI, qui ferè omnes ab aere & victu proficiſcuntur, non ſtatim, quamvis ſuam ſecùm habeant præſentem cauſam, quibuſque imprimuntur corporibus, ſed ad horum generationem plurimum facit corporum afficiendorum præparatio, quorum, cum omni ætate multa ſit in temperie varietas, nihil mirum ſi diverſis, & qui tempori & ætati non videantur convenire, corripiantur morbis.

Ergò morbi omnes omnibus fiunt temporibus.



Proponebat Pariſiis JOANNES FRANCISCUS COUTHIER, Vitellenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1706.